



quietudine societas ; haec ubi domina-
tur, illa esse non potest: dominatur in-
quies, ubi bona & mutabilia, & ta-
lia sunt, quae amitti possint: inde enim
enascitur cura timorque certissimae in-
quietis scaturigines, cura de praesenti,
ut bona retineantur, timor de futuro, ne
amittantur: vita autem beata si amitti
potest: beata esse non potest, ut recte
inquit Romanus Orator & philosophus.*
Igitur naturalis appetitus obtinendae verae
beatitudinis manifestum facit animae aeter-
nam a Deo creatore vitam esse decretam.

Ex facul-
tate se per
ficiendi.

14. Anima praeter caeteras hanc
quoque facultatem a conditore consecu-
ta est, ut facultates ab eodem sibi con-
cessas veluti elaborare ac perficere queat.
Certa mihi est veritas ista si annos pue-
ritiae, adolescentiae, juventutis ad hanc
usque aetatem in memoriam revoco, si
alios praeter me homines, quos rudes
incultosque noveram, considero. Cres-
cit quasi sedula exercitatione imaginan-
di, memorandi, judicandi, comparandi,
inferendi facilitas: verbo quo magis
anima naturalem capacitatem suam ex-
ercet, eo magis ejusdem facultates per-
ficiuntur. Et facultates istae majoris
semper perfectionis capaces momento
pereant, ita pereant, ut earum nihil
superfit, sine commodo aeternum per-
eant?

* *De fin. L. 2. c. 27.*